

2887

## C O D I C E S

2888

*Mira sed regni series superni  
Cepit et mire. Puta quod fidele  
Exigit cor, ac magis in futurum  
Mira dat ævum.*

*Cum senex esset Zacharias orans  
A Deo dandæ populo salutis  
Nempe promissum per in orbe  
Christum  
Carminè Vatum &c.*

Praefatio Paschalis sic concipitur: *Vere dignum et iustum est, bonum et salutare — Quia debellatis Inferis, morte etiam prostrata captiuitatem hæreditariam no-*

*stram dissoluisti &c.* Sed ineptiarum satis! quæ fortassis, ut subolet, ad *Paulum Scalichium* pertinent.

## DCCXCIX.

405 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 67. 4. commode scriptus, rubricisque enotatus est Opus de *Mysteriis Missæ Innocentii III.* qui ante Pontificatum vocabatur *Lotbarius* et an. 1216. supremum habuit. In hoc *Codice*, secus ac in *Cod. CCXXV.* inscribitur: *Incipit prologus in librum sacramentorum domini Innocentij pape III.* Initium Prologi: *Tria sunt in quibus precipue lex diuina consistit &c.* Prologum excipiunt *Capitula prime particule.* In VI. enim *particulas* aut libros tota *Tractatio* dispescitur, quos semper *Capitulum Elenchus* præcedit, eorum tamen numero, nec cum *Cod.* mox *cit.* nec cum *Editis* semper conspirante. Ultima sunt: *totum (Missæ Canonem) continue censui subscribendum.* Qui tamen non comparet, *Librario*, ut putem, eundem alioquin fat notum arbitrante. Ejus loco addidit: *Explicit liber sacramentorum domini ac uenerabilis pape Innocentij.* Totus ita pium et Deo conjunctum hominem loquitur, ut non

nifi aegre credas, quæ *Scriptores* quidam de *Ejus* fastu et *dominandi libidine* tradidere. *Adi et Cod. CCXXV.*

## DCCC.

Codex membraneus lat. Sec. 426 XII. Folior. 86. 4. probe scriptus, rubricisque distinctus, olim *S. Mariæ V. in Speciosa Valle* seu *Schönthal* O. Cist. non procul *Mergentheimio*, varia complectitur, et quidem I. *Expositionem Missæ* prævio hoc *Monito* miniato: *Opusculum de actione Missarum quod subter annexum continetur collectum quam maxime est ex verbis Sanctorum Patrum. Cypriani. Ambrosii. Augustini. Ieronimi. Gregorii. Fulgentii. Severiani. Vigilii. Ysidori. Bede. Auiti. Que suis Locis per singula Litterae nominum que forinsecus (ad marginem) prenotantur ostendunt. Sed et ex antiquis mysteriorum (Liturgiarum) libris quedam uerba necessario sumpta sunt &c.* Sequuntur *Loca* quaedam *PP.* in quibus generatim de *Altaris Sacrificio* agitur: *Augustinus. In mysterio corporis*

poris et sanguinis domini nostri ihesu christi quod sancta ecclesia per uniuersum mundum pro eiusdem mundi salute offert &c. Tum Titulus: *Incipit expositio de actione missarum.* Quanquam vero Expositio haec non nisi a Praefatione ordiatur, pulchre tamen praemititur: *Conuenientibus in unum et astantibus in domo dei fidelibus. praecedente modulatione diuinarum laudum. et precedente lectione apostolorum et euangelistarum. precedente et nonnunquam sermone et allocutione magistrorum. subiecta quoque symboli confessione. et oblatione populorum. et iniciata consecratione sacramentorum. in quibus omnibus mens astantium ad diuina et caelestia cogitanda ac desideranda accendatur. preparatus assistit sacerdos altari. et dum celebrantur diuina mysteria. ecclesiam salutando orat. et orando salutatur dicens Dominus uobiscum &c.* Atque deinceps Preces singulae membratim expendantur et PP. dictis illustrantur usque ad Formulam *Ite missa est*, ubi de significato uocis *Missae* hoc fine: *Missae fidelium fit post confectionem et participationem eorundem sacramentorum.* De huius Opusculi Compileatore mihi non constat.

II. fol. 25. *Sententiae noui operis petri. de eucharistia. ex epistolis Pauli.* Petrus hic, si quid uideo, Lombardus est Parisiensis Ep. anno 1164. uisus eximtus, cuius *Collectanea in omnes Epistolas Pauli* e Patribus excerpta, quamuis *Parisis* Sec. XVI. pluries impressa, mihi tamen ad ma-

Denis Codd. Theol. V. I. P. III.

num non sunt. Conferant *Ἀυτοπται.* Initium nobis: *Conuenientibus. &c.* Hic redarguit eos de hoc quod corpus dominicum non eo ordine sumebant quo sumi oportebat &c. et Finis: *Ideo ita ordinate. et sine scismate faciendum est uobis. ut non conueniatis in iudicium dampnationis.* Ex inscriptione observa, *Codicem* nostrum non multo post exaratum fuisse, quam *Petrus* *Collectanea* sua publicaret.

III. fol. 30. p. 2. *Sermo de resurrectione mortuorum.* Ex iisdem, ut uidetur, *Petri Lomb. Collectaneis.* Exponitur illud I. ad *Thessalonic. c. 4.* *Nolumus autem ignorare uos fratres de dormientibus &c.* Initium: *Post exhortationem de continentia &c.* Finis: *Maria enim dominum querebat et mortuum fratrem lugebat.*

IV. fol. 33. p. 2. absque Inscriptione Expositio V. 12. et 13. C. 4. *Epist. ad Hebr. Viuus enim est Sermo dei &c.* ex eodem, ut reor, fonte. Initium: *Quare debemus festinare in illam requiem &c.* Finis: *reddere rationem de operibus. et cogitationibus. et intentionibus nostris.*

V. fol. 35. *Ex dialogo sancti basilij de dignitate sacerdotij.* Rescribere *Johannis Chrysostomi.* Error ortus ex *Johannis* collocutore *Basilio Raphanaeae* in *Syria* Episcopo. Sunt porro loci duo. Prior excerptus e *L. III. de Sacerdotio* edit. *Maur. Opp. Chrysostomi* T. I. *Parisi.* 1718. n. 3. p. 382. ab iis uerbis: *ἡ γὰρ ἱερωσύνη τελείται μὲν ἐπὶ τῆς γῆς &c.* quae Noster

2891

## CODICES

2892

reddit : *Sacerdotii autem de quo loquimur aspice dignitatem. Agitur quidem in terra &c.* Alter e L. VI. p. 424. ab iis verbis: *τον γαρ υπερ ολης της πολεως και τι λεγω πολεως &c.* Nobis: *Nam eum qui pro omni ciuitate. quid autem dico ciuitate &c.*

VI. fol. 36. et deinceps Excerpta de *Eucharistia* e Gregorio M. *Vitis PP. Hilario, Ambrosio, Augustino, Hieronymo, Fulgentio, Cyrillo &c.*

VII. fol. 48. De *grauibus mortalibus peccatis. ac criminibus. eorumque penitudine. et satisfactione.* Praeit *Elenchus Capp. LXXXIII.* in cuius fronte legas: *Tercius hic largiente domino ex dictis sanctorum patrum defloratus. ut in prologo huius opusculi prefati sumus inchoat libellus. Tuis igitur meritis precibusque animatus studiosissime pater. et si non ut debeo tamen*

*prout potero deo fauente preceptis tuis satisfacere humiliter studebo.* Abest memorata *Praefatio* cum duobus *Libellis* praecedentibus, qui tamen indicati sunt *Cod. CCLXXXIII.* auctore *Rabano Mauro.* Inchoat *Noster: Que sint autem grauia et mortalia peccata paulus predicator egregius &c. et finit: Hucusque qualiter cogitatione. locutione. et opere peccata perpetrentur. ex multis sanctorum patrum edictis. pauca donante domino excerptissimus. que forsitan simplicioribus prodesse poterunt.* Itaque *Codex* hic cum *Cod. mox cit.* integrum *Rabani Tractatum* conficit.

VIII. fol. 86. p. ult. Nomina notarum antiquarum *Musicarum* Verficulis comprehensa, quos *Cl. B. Pezius* in *Cod. Tegernseensi Theogeri Ep. Metens. de Musica* inventos edidit *Anecd. Theol. T. I. Dissert. Isag. p. 15.*

*Eptophanus (επταφωνος) Strophicus. Punctus. Porrectus. Oriscus. &c.*

quamvis aliter legantur e *Cod. Sanblasiano* apud *Celf. Gerbertum de Cantu et Musica sacra T. II. Tab. 10. n. 2.* dimidioque plures.

*Neuter tamen quatuor ultimos Nostros, ut reor, vidit, quos idcirco adscribo:*

*Nomina Neumarum (πνευματων) cognosces hic variarum. Percutiens. Torquens. Saliens. Pes. Virga. Retorquens. Descendens. Punctus. Gradiens. Acclinis. Oriscus. His ego guttralem cum trigone consociarem.*

Omnibus his Vocibus *τεχνικois* *Signa* sua imposita esse, non est, quod moneam.

DCCCI.